

Sed contra, illud, quod convenit Christo secundum quod homo, convenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum quod homo, est Deus, sequitur quod omnis homo sit Deus, quod patet esse falsum.

Respondeo dicendum quod iste terminus, homo, in reduplicatione positus, potest dupliciter accipi. Uno modo, quantum ad naturam, et sic non est verum quod Christus, secundum quod homo, sit Deus, quia humana natura est distincta a divina secundum differentiam naturæ. Alio modo potest accipi ratione suppositi, et sic, cum suppositum naturæ humanæ in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum, verum est quod Christus secundum quod homo sit Deus. Quia tamen terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura quam pro supposito (ut supra dictum est<sup>1</sup>), ideo magis est ista neganda: Christus, secundum quod homo, est Deus, quam sit affirmanda.

Ad primum ergo dicendum, quod non secundum idem convenit alicui moveri ad aliquid, et esse illud; nam moveri convenit alicui ratione materiæ vel subjecti, esse autem in actu ratione formæ. Et similiter non secundum idem convenit Christo ordinari ad hoc quod sit Deus per gratiam unionis, et esse Deum. Sed primum convenit sibi secundum humanam naturam, secundum vero secundum divinam. Et ideo hæc est vera: Christus, secundum quod homo, habet gratiam unionis; non tamen ista: Christus, secundum quod homo, est Deus.

Ad secundum dicendum, quod Filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata, non virtute humanæ naturæ, sed virtute naturæ divinæ. In qua quidem natura divina consistit potestas dimittendi peccata per auctoritatem; in humana autem natura consistit instrumentaliter et per ministerium. Unde Chrysostomus, super Matth. 2, hoc exponens, dicit: Signanter dixit: In terra dimittendi peccata, ut ostenderet, quod humanæ naturæ potestatem divinitatis univit indivisibili unione, quia etsi factus est homo, tamen Dei Verbum permansit.

Ad tertium dicendum, quod, cum dicitur, iste homo, pronomen demonstrativum, hoc nomen, homo, trahit ad suppositum. Et ideo magis est hæc vera: Christus, secundum quod iste homo, est Deus; quam ista: Christus, secundum quod homo, est Deus.

<sup>1</sup> Art. præced., in corpor., et ad 2.

<sup>2</sup> Homil. 30 in Matth., circa med., tom. 2.

# COMMENTARIUS.

Divus Thomas hic eadem distinctione utitur qua in articulo præcedenti, scilicet, si dictio, in quantum, reduplicet suppositum, propositionem esse veram; si autem naturam, esse falsam. Quia vero prior sensus est valde improprius, et contra vim illius reduplicationis, quæ in illo sensu superflue et sine fructu fieret, sequitur propositionem illam simpliciter et in rigore falsam esse, quia significat esse Deum, convenire Christo formaliter, ut subsistenti in humanitate, quod falsum est. Addit vero D. Thomas hanc propositionem magis posse concedi: Christus, in quantum hic homo, est Deus, quia ille articulus facit, ut prior sensus melius hic applicari possit, designando suppositum per dictionem illam, in quantum, quam sententiam non probat Durand., in 3, dist. 10, q. 1, num. 12; et Bonavent., art. 1, q. 1 et 2, in eadem sententiam inclinare videtur. Et est probabilis sententia propter ea quæ dixi in simili, circa articulum præcedentem; sed res est parvi momenti, et revera videtur etiam hoc modo impropria propositio, atque adeo ambigua et distinguenda. Hinc vero fit hanc esse magis falsam: Christus, in quantum Deus, est homo, quia nec ratione naturæ, nec ratione suppositi potest habere unum verum sensum. Videantur generales regulæ supra positæ, disp. præced., sect. 3 et 4.

## ARTICULUS XII.

Utrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est hypostasis vel persona<sup>1</sup>.

1. Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit hypostasis vel persona. Illud enim, quod convenit cuilibet homini, convenit Christo, secundum quod est homo; est enim aliis hominibus similis, secundum illud Phil. 2: In similitudinem hominum factus; sed omnis homo est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

2. Præterea, Christus, secundum quod homo, est substantia rationalis naturæ; non autem substantia universalis; ergo substantia individua. Sed nihil aliud est persona quam rationalis naturæ individua substantia, ut Boetius

<sup>1</sup> 3, d. 10, quæst. 1, art. 2. Et Rom. 1, in 3 lect.

dicit in libro de Duabus naturis<sup>1</sup>. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

3. Præterea, Christus, secundum quod homo, est res humanæ naturæ, et suppositum et hypostasis ejusdem naturæ. Sed omnis hypostasis et suppositum et res humanæ naturæ, est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra, Christus, secundum quod homo, non est persona æterna. Si ergo Christus, secundum quod homo, sit persona, sequeretur quod in Christo sint duæ personæ, una temporalis et alia æterna. Quod est erroneum, ut supra dictum est<sup>2</sup>.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est<sup>3</sup>, iste terminus, homo, in reduplicatione positus, potest accipi vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Cum ergo dicitur: Christus, secundum quod homo, est persona, si accipiat ratione suppositi, manifestum est quod Christus, secundum quod homo, est persona, quia suppositum humanæ naturæ nihil aliud est quam persona Filii Dei. Si autem accipiat ratione naturæ, sic potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut intelligatur quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est: omne enim quod subsistit in humana natura, est persona. Alio modo potest intelligi, ut naturæ humanæ in Christo propria personalitas debeat, causata ex principiis humanæ naturæ. Et sic Christus, secundum quod homo, non est persona, quia humana natura non est per se seorsum subsistens a divina natura, quod requirit ratio personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod omni homini convenit esse personam, secundum quod omne subsistens in humana natura est persona. Sed hoc est proprium homini Christo, quod persona, subsistens in humana natura ejus, non sit causata ex principiis humanæ naturæ, sed sit æterna. Et ideo uno modo est persona, secundum quod homo, alio modo non, sicut dictum est<sup>4</sup>.

Ad secundum dicendum, quod substantia individua, quæ ponitur in definitione personæ, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis; alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quædam individua; quia tamen est substantia individua, sicut in alio existens, non potest di-

<sup>1</sup> Aliquantulum a princ., in 3 pag.

<sup>2</sup> Q. 2, art. 3 et 6.

<sup>3</sup> Art. 10 hujus quæst.

<sup>4</sup> In corp. artic.

ci persona. Et eadem ratione, nec humana natura in Christo, quæ tamen potest dici individuum, vel singulare quoddam.

Ad tertium dicendum, quod, sicut persona significat quid completum, et per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis, suppositum, et res naturæ, in genere substantiæ significant quiddam per se subsistens. Unde, sicut humana natura non est per se persona seorsum a persona Filii Dei, ita etiam non est per se hypostasis, vel suppositum, vel res naturæ. Et ideo, in sensu, in quo negatur ista: Christus, secundum quod homo, est persona, oportet etiam negari omnes alias.

# COMMENTARIUS.

1. Divus Thom. fere sub eadem distinctione respondet, et in summa sentit, illam propositionem esse ambiguam et distinguendam. Advertendum autem videtur, ex Altisiod., l. 3 Summæ, tract. 1, c. 1, q. 8, distinctionem illam, in quantum, non debere applicari homini, vel humanitati in communi, quia ut sic abstrahit a personis; debet ergo applicari homini seu humanitati ut subsistenti in re ipsa; et hoc modo fere idem est dicere, Christum, in quantum hominem, vel in quantum hunc hominem, esse personam. Hoc autem modo duplex videtur esse posse sensus non improprius hujus propositionis. Primus est, Christum ab humanitate habere quod sit persona, quo modo sumitur, in quantum, reduplicative; et sic est plane falsa propositio, quia significat Christum esse personam creatam, cujus veluti causa et radix est humanitas. Secundus sensus est, Christum, etiam ut subsistentem in humana natura, esse personam, quo modo sumitur, in quantum, specificative, et ita est propositio verissima, ut per se constat, et hic est sensus D. Thomæ in hoc articulo, et aliorum Theologorum, in 3, d. 10, Bonavent., Richard., Durand., et Alens., 3 p., q. 6, mem. 2, art. 4. Neque in hoc occurrit difficultas explicatione digna.

2. Solum quæri potest an saltem concedi possit Christum, in quantum hominem, esse personam humanam, eo sensu quo supra, art. 1, dictum est esse personam humanam. Respondetur illam propositionem concedi posse et debere in utroque sensu supra posito, ut colligitur ex S. Thoma, 4 Cont. gent., cap. 49, ad 6, 7 et 10; et Cajet. supra, q. 2, art. 5; et Richard., d. 10, art. 1, q. 1, ad ultim. Et ratio est, quia Christus, ut est sub humani-



tate, est persona composita, ut Patres loquuntur; ergo est persona humana. Item, licet ab humanitate non habeat ut persona sit, habet tamen quod humana sit. Et cum hoc optime consonat, quod definit Alexander III, cap. Cum Christus, de Hæreticis, Christum, ut hominem, esse aliquid, id est, primam substantiam humanam. Nec sequitur: Christus, in quantum homo, est persona humana; ergo, in quantum homo, est persona in sensu causali; quia respectu Christi est argumentum a secundum quid ad simpliciter. Et hactenus de ista quæstione.

## QUÆSTIO XVII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD ESSE, IN DUOS ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de his quæ pertinent ad unitatem in Christo in communi. Nam de his quæ pertinent ad unitatem vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est, sicut supra<sup>1</sup> determinatum est quod in Christo non est una tantum scientia, et infra<sup>2</sup> determinabitur quod in Christo non est una tantum nativitas.

Considerandum est ergo primo de unitate Christi, quantum ad esse. Secundo, quantum ad velle. Tertio, quantum ad operari. Circa primum queruntur duo.

Primo, utrum Christus sit unum vel duo.

Secundo, utrum in Christo sit tantum unum esse.

## ARTICULUS I.

Utrum Christus sit unum vel duo<sup>3</sup>.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christus non sit unum, sed duo. Dicit enim Augustinus, in primo de Trinitate<sup>4</sup>, quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, propter accipientem Deum; utrumque autem homo, propter acceptum hominem. Sed utrumque dici non potest, nisi ubi sunt duo. Ergo Christus est duo.

<sup>1</sup> Quæst. 9.

<sup>2</sup> Quæst. 35.

<sup>3</sup> 3, d. 6, q. 2, art. 1, et d. 21, q. 1, a. 1, q. 2, ad 6. Et 4 cont., c. 37, fin. Et Uni., art. 2, ad 2, et 7, et art. 3, et 4, per totum, et a. 5, ad 14.

<sup>4</sup> C. 7, in fin., tom. 3.

2. Præterea, ubicumque est aliud et aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud et aliud; dicit enim Augustinus<sup>1</sup> in Enchirid.: Cum in forma Dei esset, formam servi accepit, utrumque unus, sed est aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Ergo Christus est duo.

3. Præterea, Christus non est tantum homo, quia sic purus homo esset. Ergo est aliquid aliud quam homo; et ita in Christo est aliud et aliud. Ergo est Christus est duo.

4. Præterea, Christus est aliquid quod est Pater, et est aliquid quod non est Pater. Ergo Christus est aliquid et aliquid. Ergo Christus est duo.

5. Præterea, sicut in mysterio Trinitatis sunt tres personæ in una natura, ita in mysterio Incarnationis sunt duæ nature in una persona. Sed propter unitatem nature, non obstante distinctione personæ, Pater et Filius sunt unum, secundum illud Joann. 10: Ego et Pater unum sumus. Ergo, non obstante unitate personæ, propter dualitatem naturarum, Christus est duo.

6. Præterea, Philosophus dicit in 3 Physi.<sup>2</sup>, quod unum et duo denominative dicuntur. Sed Christus habet dualitatem naturarum. Ergo Christus est duo.

7. Præterea, sicut forma accidentalit facit alterum, ita forma substantialit aliud, ut Porphyrius dicit<sup>3</sup>. Sed in Christo sunt duæ nature substantiales, humana, scilicet, et divina. Ergo Christus est aliud et aliud. Ergo Christus est duo.

Sed contra est quod Boetius dicit in libro de Duab. naturis<sup>4</sup>: Omne quod est, in quantum est, unum est. Sed Christum esse confitemur. Ergo Christum est unum.

Respondeo dicendum quod natura, secundum se considerata, prout in abstracto significatur, non potest vere prædicari de supposito seu persona, nisi in Deo, in quo non differt quod est, et quo est, ut in 1 parte habitum est<sup>5</sup>. In Christo autem cum sint duæ nature, divina, scilicet, et humana, altera earum, scilicet, divina, potest de eo prædicari, et in abstracto, et in concreto; dicimus enim quod Filius Dei, qui supponitur in hoc nomine, Christus, et est divina natura,

<sup>1</sup> C. 35, a med., tom. 3.

<sup>2</sup> Tex. 18, tom. 2.

<sup>3</sup> In Prædic., in c. de Diffe., tom. 1, inter oper. Arist.

<sup>4</sup> In lib. An omne quod est, bonum sit.

<sup>5</sup> 1 part., q. 3, art. 3, et 4.

et est Deus. Sed humana natura non potest prædicari de Christo secundum se in abstracto, sed solum in concreto, prout, scilicet, significatur in supposito. Non enim vere potest dici quod Christus sit humana natura, quia natura humana non est nata prædicari de suo supposito. Dicitur autem, quod Christus est homo, sicut et quod Christus est Deus; Deus autem significat habentem deitatem, et homo significat habentem humanitatem. Aliter tamen habens humanitatem significatur per hoc nomen, homo, et aliter per hoc nomen, Jesus, vel Petrus. Nam hoc nomen, homo, importat habentem humanitatem indistincte, sicut et hoc nomen, Deus, indistincte importat habentem deitatem; hoc autem nomen, Petrus vel Jesus, importat distincte habentem humanitatem, scilicet sub determinatis individualibus proprietatibus; sicut et hoc nomen, Filius Dei, importat habentem deitatem sub determinata proprietate personali. Numerus autem dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas, et ideo si ambæ nature in abstracto prædicarentur de Christo, sequeretur quod Christus esset duo. Sed quia duæ nature non prædicantur de Christo, nisi prout significantur in supposito, oportet secundum rationem suppositi prædicari de Christo unum vel duo. Quidam autem posuerunt in Christo duo supposita, sed unam personam, quæ quidem videtur se habere secundum eorum opinionem tanquam suppositum completum ultima completionem. Et ideo, quia ponebant in Christo duo supposita, dicebant Christum esse duo neutraliter; sed quia ponebant unam personam, dicebant Christum unum masculine; nam neutrum genus designat quiddam informe et imperfectum; genus autem masculinum designat quiddam formatum et perfectum. Nestoriani autem ponentes in Christo duas personas, dicebant Christum non solum esse duo neutraliter, sed etiam duo masculine. Quia vero nos ponimus in Christo unam personam et unum suppositum (ut ex supra dictis patet<sup>1</sup>), sequitur quod dicamus, quod non solum Christus est unus masculine, sed etiam quod est unum neutraliter.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Augustini<sup>2</sup> non est sic intelligendum, quod ly utrumque, teneatur ex parte prædicati, quasi dicat, quod Christus sit utrumque, sed tenetur ex parte subjecti. Et tunc ly utrumque, ponitur non quasi pro duobus suppositis, sed pro

<sup>1</sup> Q. 2, art. 2 et 3.

<sup>2</sup> Citatum in argum.

duobus nominibus significantibus duas naturas in concreto. Possum enim dicere quod utrumque, scilicet, Deus et homo, est Deus, propter accipientem Deum; et utrumque, scilicet, Deus et homo, est homo, propter acceptum hominem.

Ad secundum dicendum, quod, cum dicitur: Christus est aliud et aliud, locutio est exponenda, ut sit sensus, habens aliam et aliam naturam. Et hoc modo exponit August. in l. contra Felicianum<sup>1</sup>. Ubi cum dixisset: In mediatore Dei et hominum, aliud Dei Filius, aliud hominis filius, subdit: Aliud (inquam) pro discretionem substantiæ, non alius pro unitate personæ. Unde Gregorius Nazianzenus, in Epistola ad Chidonium, dicit<sup>2</sup>: Si oportet compendiose dicere, aliud quidem et aliud, ea, ex quibus Salvator est, siquidem non idem est invisibile visibile, et quod absque tempore, ei, quod sub tempore; non autem alius et alius; absit; hæc enim ambo unum.

Ad tertium dicendum, quod hæc est falsa: Christus est tantum homo; quia non excludit aliud suppositum, sed aliam naturam, eo quod termini in prædicato positi formaliter tenentur. Si vero adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum, esset vera locutio; puta, Christus est tantum id quod est homo. Non tamen sequitur quod sit aliquid aliud quam homo, quia ly aliud, cum sit relativum diversitatis substantiæ, proprie refertur ad suppositum (sicut et omnia relativa facientia personalem relationem); sequitur autem: Ergo habet aliam naturam.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur: Christus est aliquid quod est Pater, ly aliquid, tenetur pro natura divina, quæ etiam in abstracto prædicatur de Patre et Filio. Sed cum dicitur: Christus est aliquid quod non est Pater, ly aliquid, tenetur non pro ipsa natura humana, secundum quod significatur in abstracto, sed secundum quod significatur in concreto, non quidem secundum suppositum distinctum, sed secundum suppositum indistinctum, prout, scilicet, substat nature, non autem proprietatibus individuantibus. Et ideo non sequitur quod Christus sit aliud et aliud, vel quod sit duo; quia suppositum humane nature in Christo, quod est persona Filii Dei, non ponitur in numerum cum natura divina, quæ prædicatur de Patre et Filio.

Ad quintum dicendum, quod in mysterio di-

<sup>1</sup> Cap. 11, in fin., tom. 6.

<sup>2</sup> Epist. 1, inter prin. et medium; incipit Honorandissimo.



vincat Trinitatis natura divina prædicatur etiam in abstracto de tribus personis; et ideo simpliciter potest dici quod tres personæ sint unum. Sed in mysterio incarnationis non prædicantur ambæ naturæ in abstracto de Christo, et ideo non potest simpliciter dici quod Christus sit duo.

Ad sextum dicendum, quod duo dicitur, quasi habens dualitatem, non quidem in aliquo alio, sed in ipso, de quo duo prædicantur. Fit autem prædicatio de supposito, quod importatur per hoc nomen, Christus. Quamvis igitur Christus habeat dualitatem naturarum, quia tamen non habet dualitatem suppositorum, non potest dici Christus esse duo.

Ad septimum dicendum, quod alterum importat diversitatem accidentis, et ideo diversitas accidentis sufficit ad hoc, quod aliquis simpliciter dicatur alterum. Sed aliud importat diversitatem substantiæ; substantia autem dicitur non solum natura, sed etiam suppositum, ut dicitur in 3<sup>o</sup> Metaph.<sup>1</sup>, et ideo diversitas naturæ non sufficit ad hoc, quod aliquid simpliciter dicatur aliud, nisi adsit diversitas secundum suppositum. Sed diversitas naturæ facit aliud secundum quid, scilicet, secundum naturam, si non adsit diversitas suppositi.

## COMMENTARIUS.

1. Videtur magis D. Thom. tractare hoc loco modum loquendi in hac quæstione, quam rem ipsam; res enim ipsa satis in quæst. 2 tractata et explicata videtur; ibi enim ostensum est, Christum esse unam personam ex duabus naturis compositam, non accidentaliter, sed per se ac substantialiter. Hic ergo inquiritur an hoc satis sit ut Christus simpliciter dicatur unus, vel unum; nam, licet divus Thomas in titulo tantum proponat, an Christus sit unum vel duo in neutro genere, ut Cajetanus advertit, tamen in articulo, tam in neutro genere quam in masculino satisfacit quæstioni.

2. Respondet ergo D. Thomas duplici assertionem. Prima est: *Christus est unus*, etiamsi hoc prædicatum masculine sumatur. In qua conveniunt cum D. Thoma Scholastici in 3, dist. 6, ubi bene Scotus, q. 2; et res est certa de fide. Quæ probari potest primo omnibus Scripturæ testimoniis, quibus in superioribus ostensum est unum et eundem esse Deum et hominem, ad Timot. 2: *Unus mediator Dei*

<sup>1</sup> Text. 15, tom. 3.

et hominum, homo Christus Jesus. Secundo, ita docent Concilia omnia quæ de hoc mysterio loquuntur. Ephesinum, in confessione fidei, et canon. 2 et 3, ubi damnantur qui Christum in duo dividunt; Chalcedon., action. 1, V Synod., action. 8, VI Synod., action. 11 et 18, Concil. Lateranen., sub Martin. I. Et denique, ubicunque agitur contra Nestorium, definitur Christum esse unam personam compositam; et in Symbolo Athanasii: *Non duo tamen, sed unus est Christus*; et infra: *Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus*; et infra: *Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate personæ*; et in Symbolo Nicæno: *Et in unum Dominum Jesum Christum*; et Eutych. Pap., de Christo loquens, inquit: *Utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in id ipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est*. Et Leo Papa, epist. 95, alias 97, ad Leonem August., c. 2: *Cum ergo, inquit, unus sit Dominus Jesus Christus, et veræ deitatis, veræque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit*, etc.; et infra: *Inseparabiliter unus atque idem est, et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei Filius, propter unam cum Patre deitatem*; et ibidem multa congerit Patrum testimonia in hujus veritatis confirmationem. Idem Ambros., l. 2 de Fide, c. 4; August., in Enchirid., c. 38, et tract. 78 in Joan. dicit: *Utrumque simul, scilicet, Deus et homo, non duo, sed unus Christus*; Fulgent., lib. de Incarn., c. 11, in hujus confirmationem adducit illud Matth. 28: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, adjungens quod Actorum 2, et ad Rom. 6, dicitur baptismus dari in nomine Christi: *Nam, quia omnino unus, inquit, est Filius et Christus Deus homo, quod datur in nomine Filii, dari dicitur in nomine Christi*; similia habet Petr. Diaconus, lib. de Incarn., c. 3, et ex professo probat Damasc., lib. 3 de Fide, c. 5, 7 et 11; et Cyrillus Alexand., lib. de Fide ad Theodosi., dicit, post unionem non posse intelligi Christum esse duo: *Quia licet mens in eo intelligat duas naturas, hæc tamen contemplatio, inquit, utriusque in unitatem concursus non excludit, unus ilaque ad numerum est Christus*. Ratio vero est, quia, unus, masculine et simpliciter dictus, indicat unitatem suppositi seu personæ, ut ex communi modo loquendi constat; unde in Trinitate tres personæ licet dicantur unum in neutro, et unus Deus, non tamen unus simpliciter, ne significetur unitas personæ. Unus enim hoc

modo sumptus, adjectivus terminus est, et ideo, simpliciter positus a parte prædicati, suum significatum applicat supra suppositum subjecti. Tandem Christus est unus homo, et unus Deus, et unus Deus homo; ergo.

3. Secunda assertio D. Thomæ est, Christum etiam esse unum simpliciter et absolute, quamvis illud prædicatum in neutro genere sumatur. Consentiunt etiam Theologi supra citati. Marsil., q. 6, art. 3, dub. 1, ad 4, dicit, in Christo esse plura individua, licet ipse non sit plura, sed illud primum dixit propter plures naturas. Et hæc conclusio etiam sumitur ex omnibus testimoniis citatis, nam hoc etiam intendunt, ut bene notavit Nicetas, libro 3 Theol., c. 38; et constat, quia hoc sensu definiunt in Christo esse veram unitatem per propriam compositionem et unionem sine imperfectione. Et hinc sumitur ratio conclusionis, quia *unum*, cum substantive dicatur, significat vel unum suppositum, vel unum individuum, vel unum ens; sed Christus est unum suppositum, et unum individuum utriusque naturæ, et unum ens, non simplex, sed compositum; quia compositio ex multis rebus, præsertim si substantialis sit, et ex eis resultet unum per se, non tollit unitatem simpliciter; at vero, licet in Christo sint plures naturæ, tamen illæ substantialiter conjunguntur ad constituendum per se unum. Alia ratione hoc probat D. Thomas, quia in Christo non sunt aliqua duo quæ de ipso prædicari possint, quia, licet in illo sint duæ naturæ, humanitas et divinitas, tamen illæ in abstracto, et ut duæ sunt, non possunt prædicari de Christo; ergo Christus simpliciter non est duo; ergo est unum, sicut humanitas, licet ex anima et corpore constet, quæ duo sunt, tamen, quia anima et corpus non prædicantur de humanitate, sed compositum ex illis, ideo simpliciter non est duo, sed unum. Contra hanc D. Thomæ doctrinam sentit Durand., in 3, dist. 6, q. 1, art. 2, qui dicit, Christum simpliciter non esse dicendum unum, neque plura, sed cum addito, esse unum suppositum, et habere duas naturas. Sed multum errat in modo loquendi, neque affert probabile fundamentum cui oporteat satisfacere.

4. Solet vero hic disputari circa rationem D. Thomæ, quamvis Christus non sit duæ naturæ divisive, an complexive possit dici quod sit duæ naturæ, sive humanitas, et divinitas. Sed de hoc dubio satis dictum est disp. præc., sect. 2, in fine.

5. Argumentum primum D. Thomæ funda-

tur in testimonio August., lib. 1 de Trinit., c. 7, circa finem, ubi sic inquit: *Quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrumque homo; sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter acceptum hominem*; ubi verbum illud, *utrumque*, videtur indicare Christum esse plura; exponit autem D. Thom. Augustinum posuisse nomen illud, *utrumque*, non pro duobus suppositis, sed pro duobus nominibus significantibus idem suppositum sub diversis naturis, scilicet, *Deus et homo*. Aliter exponi posset mens Augustini ex alio ejus loco sup. cit., tract. 78 in Joan., ut, scilicet, nomen illud, *utrumque*, propter duas naturas positum sit, ita ut sensus sit, utramque simul unum esse, seu componere Christum, qui sensus ex verbis ejus colligi videtur, sic enim inquit: *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam, scilicet, quæ æqualis est Patri, humanam, qua major est Pater, utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas, Deus; sicut enim unus est homo, anima rationalis et caro, sic unus est Christus, Deus et homo, ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis, et caro*. Ubi ex contextu constat illud verbum, *utrumque*, ad utramque naturam referri; et eundem esse sensum alterius loci, patet ex verbis sequentibus; cum enim dixisset: *Utrumque Deus et homo*, subdit: *Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conversum est, nec divinitas in creaturam, nec creatura in divinitatem*. In hoc autem sensu explicari potest hæc propositio in sensu causali, juxta supra dicta, disp. præced. sect. 2.

6. In secundo, tertio et septimo argumento, insinuat D. Thomas dubium, an Christus possit dici aliud et aliud, et quidem D. Thomas hic simpliciter videtur negare hanc locutionem, et rationem reddit ad 3, quia, cum, *aliud*, sit relativum diversitatis substantiæ, proprie refertur ad suppositum: et hanc sententiam sequitur Scotus, dist. 6. At veroidem D. Thomas supra, q. 2, art. 3, ad 1, expresse docuit contrariam sententiam, dicens, *sicut alterum et alterum in creaturis non significant diversitatem suppositorum, sed formarum accidentalium, ita aliud et aliud in Christo, non significare distincta supposita, sed diversas naturas substantiales*; quam sententiam sequuntur Palud. et Richard., dicta dist. 6; et Waldens., lib. 1 Doctrin. fid. antiq., c. 22, et videtur esse expressa sententia Damasc., lib. 3 de Fid., c. 7, dicentis: Alius